
MH
184.2
Q3


HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED ~ BY ~
CHARLES ~ SPRAGUE ~ SARGENT
1892

FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PRO-CANCELLARIVS
D. SAMVEL THEODORVS QVELMALTZ
ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORD.
MEDICOR. ORD. ASSESS.
PANEGYRIN MEDICAM
D. XII. MAII A. MDCCXLVII.
HABENDAM INDICIT
DE INFVSO FOLIORVM THEAE
DISSERENS.

Sunt variae diuinitus hominibus conceſſae res, per quas miſerias quibus vndique exponuntur quodammodo lenire, vitaeque dulcedinem quandam ſibi comparare conſueuerunt. Quas inter calidus infuſi foliorum Theae, vel decocti fructuum toſtorum Caffee potus non vltimum ſibi vindicat locum. Quam enim multis iam annis tam in ſtatu qui ſecundum, quam qui praeter naturam audit, in hominum ceſſerit vſum, eosque ſubinde magnis affecerit beneficiis, noto eſt notius, Nec ſatis mirari queo, tam vtrique conſtantem hactenus permanſiſſe poſſeſſionem, vt, quod veſtimentis horumque formae paſſim accidit, vt ſubito ſaepe mutentur, minus

tamen noſtris contigerit, etſi natura in producendis tot concretis naturalibus, inprimis quod regnum vegetabile attinet, minus nouercam egerit. Verum enim vero quae fata ipſe panis in quotidianum victum adeo cedens, vt vel ſine eo vitam periclitari dicas, expertus eſt, vt, cum omnem repletionem malam recte pronunciauerint, panis ipſius, quo tamen fundamento non ſatis liquet, nuncupare peſſimam, haud erubuerint artis proceres; eadem certe experiuntur infuſa noſtra, quae etſi humano generi optime cupiant, ſuſpecta tamen ſi non prorſus nociua a nonnullis quandoque haberi videntur. Quod autem pace venerandorum illorum rerum medicarum Antiſtitum dixerim, veluti plurimorum, qui ex ciborum aliorum, nec delicatiſſimis exceptis, ingurgitatione immodica male ſe habuerunt, bene recordor; ita vix vllius, qui ex ſolius panis rite cocti largiori forte aſſumtione, tantum ſibi contraxerit malum, meminiſſe poſſum. Idem propemodum eſto iudicium de his infuſis calidis, cum vix vnus aut alter noxam ab his contractam, ceu affectus forte leuioris genuinam cauſam accuſare valeat, cum multi ſaepe Hectores vdi ſymposiorum ſtrenue olim frequentatorum poenam luentes grauiſſimam, noſtras pulſent fores. Adeo beneficiorum immemores, aut potius iniurios ipſas in res ſaluberrimas eſſe putes mortales. Haud interim has mihi in praeſenti ſumam partes, vt quae foliorum horum diuerſae hodie apportantur ſpecies, quaeque potulentis his aquoſis calidis cum illis paratis competant laudes prolixius enarrem, cum alii in iis extollendis iam pridem otia mihi fecerint; nec iam inquirere expedit, quomodo hoc labore defuncti fuerint,

fuerint, et vtrum rem acu tetigerint nec ne, ſatius modo ducens illa, quae vulgo noſtris obiiciuntur vel in tranſitu ad ſtateram reuocare. Equidem quo maiori gratia ex fructibus Caffee toſtis contritisque aqua coctus, ſaccharoque ad gratiam conditus potus ſe commendat, inque noſtratium deliciis habetur, eo minus infuſum foliorum Theae, (culpa forſitan haud minima mercatorum, qui viliſſimas eorum ſortes, turpis lucri cauſa vtplurimum adductas diuendunt, tenerioribus ſapidioribusque neglectis, vt vel hic loci difficultas ſubſit ſaepenumero maxima eorum laudabilem obtinendi ſpeciem,) palato eorum arridere experimur, vt vel hoc nomine maleuolis eius parum aut nihil detrimenti ex hoc, plus vero ex illo metuendum ſit. Hi enim ſunt, qui id experiri videntur, quod illi, quorum guſtus non niſi ſapidioribus delectatur, qui proin quaeuis alia minus viuide papillas linguales afficientia procul eſſe iubent; vel quod illis accidit, qui in luce viuidiſſima conſtituti antea, ſe in loca tenebricoſa aut debiliori lumini expoſita conferunt. Aſt cum nihilominus infuſi foliorum Theae calidi vſus antiquior, in noſtris minimum regionibus, exiſtat, breuitati ſtudens, hac vice potiorem illius locum habere fas duxi. Mutuare a Chinenſium remotiſſimis inſulis ac locis folia haec famigerata teneriora, atque ſub veris finem et initium aeſtatis inprimis ex frutice quodam minori ab incolis, iam ex ſtipite, quae duriora paulo, iam ex medio et apice, quae tenuiora ſunt collecta, laminae poſtmodum ferreae calefactae impoſita digitisque contorta, abſonum quibusdam cenſetur, eoque magis, cum alma naturae mater, vti ſingulis terrae regionibus, ſic

etiam noſtris eam plantarum vbertatem largiatur, quae indoli ac temperiei incolarum cuiuslibet terrae magis reſpondeant. Illis igitur poſthabitis aliunde longe lateque conquiſitis, has potius, quae ſolum, quod incolunt, ac ſponte praebet, adhibendas eſſe arbitrantur. Ipſe Illuſtr. HOFFMANNVS, Medicus omni noſtra laude ſuperior Diaetetices Libr. I. p. 306. ob adſtringens, quo gaudeant folia Theae principium in multis affectibus, cum quibus ſpaſmi complicentur, infuſum eorum non niſi parce vſurpandum eſſe non ſolum cenſet, ſed etiam noſtras herbas veronicae, betonicae, meliſſae, hederae terreſtris, trifolii fibrini, millefolii, fumariae, petroſelini, Ranunculi hortenſis, Flores Chamomillae noſtratis etc. longe praefert. Aſt quotquot ſpecioſa talia proferunt argumenta id quoque velim perpendant, multas terrae regiones tales alere plantas, fructus, aliaque naturalia concreta, quae, quod tamen de hoc infuſo neutiquam dictum putem, incolarum indoli reſpondent minime, remotiſſimorum vero populorum naturae apprime inſeruiunt. Loquantur ſola calidiſſima aromata, quae Indiae Orientalis cornu copiae ditiſſimum largitur, quam corporibus inhabitantium vtplurimum ſicciſſimis minus ſint congrua, lentiores contra ea ac viſcidiores ſuccos, ſub frigidis temperatisue zonis degentium blandius foueant, ſolidasque eorum partes ad motum ſtimulent, his forte terris alia illis offerentibus reddentibusque. Fallor ego aut ipſa hac re ad mutuam amicitiam commerciumque reciprocum, miſſum factis quibusuis diſſidiis atque contentionibus, ſponte, ac per naturam quaſi homines inuitantur. Plantas

tas

tas adductas caeteraſque plures, quas ſolum noſtrum producit, tam ad arcendos morbos futuros, quam ad debellandos praeſentes maiori longe virtute ipſis foliis Theae eſſe praeditas, nullus inficior. Ecquis autem in grauioribus aegritudinibus iisque chronicis profligandis in Theae haec folia eandem fiduciam, atque in herbas indigitatas collocare audeat? Sane ſi non minor dicenda eſt gloria parta tueri, ſatis magnam merebitur laudem infuſum noſtrum, ſi vel ſanitati conſeruandae ſecundae ſolum opituletur, etſi profligandae aduerſae, vbi inprimis ſine medicamentorum congruorum adminiculo in cenſum veniat, minus par cenſendum ſit. Tantum vero abeſt, vt pro eodem diaetetico ſcopo adductarum herbarum caeterarumque, ex noſtris, infuſum vel decoctum eadem cum gratia atque iucunditate ad plures cyathos et quotidie aſſumi queat, vt potius, quod manibus propitiis Illuſtris atque Excellentiſſimi huius viri dixerim, timendum ſit, ne primus ſtatim hauſtus noſtratibus delicatulisque tantum incutiat plerumque horrorem, vt vel per omnem vitam idem vltro reſpuant, ne inquam id eueniat, quod viro cuidam honeſto ac vere humaniſſimo olim, vti libere confitebatur accidit, qui nimirum quoties trifolii fibrini herbae infuſo, medici ſui conſilio vtebatur, toties μισάνθρωπος vere euadebat, adeo vt omnes, ſiue vxor, ſiue vnicus infans, ſiue quisquis alius ipſi amiciſſimus ei tunc obueniret, odio perſequeretur. Nec inanem hunc fore metum ille optime intelligit, qui detentis morbis appetitum adeo vtplurimum deficere nouit, vt vel innocentiſſima gratiſſimaque potulenta crebro denegent af-

flictisque non eſſe addendam afflictionem, exclament. Vt quam perennis infuſorum horum medica virtute imbutorum propinatio, ſi vel mandato medico, non obſtante ſapore taedioſiſſimo, quidam obſequentiſſimi fuerint, haud ſine praegnanti ratione minus proficua videatur, non attingam. Sed ne quis infuſo huic virtutem omnem noxamue a foliis Theae, quantitate, vti decet, ſatis refracta aquae inditis accedere putet, cum ea ipſi aquae longe maiori quantitate adhibendae adſcribenda omnino veniat, ſatisque ſit ſi eadem ſola minus aſſumtu commoda, ſapore iam imbuta gratiori non ſolum ſine taedio ſorbilletur, ſed palato potius arrideat. Quum autem aqua elementis conſtet tenuiſſimis, ponderoſiſſimis, lubricitate ſumma praeditis, exque hac veluti pleraque naturae concreta, ſic praecipue animalium humores, qua maximam partem contineantur, cum vel oſſa ac caeterae duriſſimae partes eam large habeant admixtam; clare patet eam per canaliculos quosuis, nec minimis exceptis, ferri promtiſſime, ſeque cum ſanguine ac reliquis humoribus confeſtim miſcere. Scilicet tantum abeſt vt ſanguis, humorum corporis craſſiſſimus, quique vena emiſſus protinus coagulatur inque placentam ſolidam ſiccamque degenerat, adeo, vt breui in puluerem conteri queat, per vaſa ſubtiliſſima, ſine ſero admixto, penetrare queat, vt cunctae potius reliquae ſanguinis partes ſolius aquae ope ſolutae, diſcontinuatae, ac fluidae conſeruentur. Vt quam omnis nutritia portio ex alimentis ſucco aquoſo turgidis, per digeſtionem elaborata, lymphae tantum, ceu tenuiſſimae aquae vehiculo, ad quaeuis corporis puncta per vaſcula omnium ſubtiliſſima deducatur,

catur, taceam. Quam igitur nonnulli aqua e audito nomine terreantur, eius tamen cum corporis noſtri partibus maior conuenientia, quam vini aliusque humoris ex dictis haud obſcure patet. Haec vero aquoſarum partium ſubtilitas calore, ab igne culinari adſcito, augetur maxime, vt propter nouam hanc ab eo inductam actiuitatem mobilitatemque longe facilius tubulos partium exiliſſimos permeare, et poſtquam officio ſuo defuncta eſt, partim per cutis poros, partim per reliqua excretoria organa eliminari queat, quasuis ſanguinis quisquilias ſecum abripiens feliciſſime. Nec talem ſanguini ac corporis reliquis fluidis inducit commotionem orgaſticam, qualem a calidis potentia magis ſic dictis, quam actu, excitari nouimus. Sicque tepidius infuſum hoc vehiculum multorum medicamentorum, imo ad eadem in ſanguinem introducenda ſitimque in morbis fallendam, potum omnium optimum etiam noſtratibus, quorum papillae ſapidiori decocto Caffee magis adſuetae ſunt, conſtituit, vt vel hoc ſolo nomine, ſi etiam vtilitatem aliam prae ſe ferret nullam, nuncupandum ſit vtiliſſimum. Sed audire mihi videor alios oggannientes, qui maiores noſtros, etſi deſtitutos infuſis vel decoctis his calidis, haud tamen infeliciores in eo extitiſſe perhibent, ſed ad vitam longam aeque adſpiraſſe ex voto, imo longaeuitate poſteros nos, calidam iugiter haurientes ſuperaſſe non ſolum, verum etiam a morbis magis immunes aetatem transegiſſe cenſent. Magni, fateor, momenti cuncta haec videntur argumenta, ſed quotus eſt quisque, qui non perſpiciat, quanquam longaeuitatis rationes regulis nitantur diaeteticis bene ordinatis, hominumque moribus ac geſtis,

non minimam tamen eius partem a rebus extra nos et poteſtatem noſtram conſtitutis dependere. Quantum enim generatio et parentum robur, educatio, aliaque hic valeant, quamque fortes ac viuaces creentur fortibus et viuacibus, quam inquam tot circumſtantiae temperiem corporis aliaque reſpicientes multum ſibi hic vindicent, neminem latere puto. Vt interim ingenue fatear quod res eſt, ipſemet ego concedo lubentiſſime, grandaeuos plures ſemper euaſiſſe et adhuc euadere ex illis, qui calidis his aquoſis potulentis vſi ſunt aut vtuntur neutiquam. Scilicet plures ex plebe illisque eſſe, qui laboribus a teneris aſſueti ſimplicem admittunt victum et amictum, hasque calidae illecebras, vbi inprimis extra hanc vrbem degunt, cum tantum forte vix lucrentur, quantum ad eas, vt decet atque exoptant, praeparandas requiritur, poſthabent, experientia quemlibet docebit. Hi enim ſunt qui Petrarchae monitum vel inuiti amplectuntur: ſi vis viuere ſanus (aut vitam adipiſci longam) aut pauper ſis, aut pauperum more te viuere oportet. Veruntamen quo, quaeſo, iure calida moderate atque decenti cum ſubordinatione in vſum vocata, circuitum ſanguinis eiusdemque ac reliquorum humorum fluiditatem, vaſorumque permeabilitatem gnauiter ſuſtinens atque conſeruans, ſe- et excretiones liberiores praeſtans, partes ſulphureas atque ſalinas ſuperfluas educens, primarum viarum cruditates, ſuperiori inprimis die collectas, emolliens diluensque, quaeque multis aliis modis de ſalute hominum bene meretur, vitae protractioni obeſſe poſſet. Aequius certe iudicium Clariſſimus Bontek. de eo fert, quippe qui vitae felicem prorogationem calidae

acce-

acceptam fert. Ipſos Sinenſes, beneficio eius, infuſi tenuiſſima virtute adſtrictoria imbuti, vitam absque vllo languore traducere longam, a plurimis iisque fide dignis literis conſignatum legimus. Illud inſuper mihi perſuadere haud patiar, maiores noſtros calidorum horum infuſorum neſcios cum tot tantisque aegritudinibus minus olim conflictatos eſſe, cum ego longe maiori probabilitate audacterque aſſerere haud dubitem, eosdem et morbis chronicis, et acutis eo frequentius fuiſſe obnoxios, quo magis aqua calida tam humorum fluiditatem, quam vaſorum tenerrimorum meatum integrum conſeruando, circuitus ſanguinis praeſidium conſtituit maximum. Frequentiores hinc et apoplexiae, et ſoporoſi affectus vna cum cephalalgiis, oculorum vitiis, faucium ac tonſillarum intumeſcentiis procul dubio extitere, quo magis tranſitus ſanguinis et lymphae per cerebri corticem, mentisque ac ſenſuum omnium, tam externorum, quam internorum alacritas eadem promouetur. Nec ſine ratione vereor, ne cruditatibus primarum viarum et hinc inducta a pinguibus frixatis, quibus luxuriant delicatulorum menſae, anorexia, chyli ac lymphae viſciditate ac inde oriundis pectoris affectibus, coagulis calculoſis, acrimonia, inflammationibus, febribus, inprimis bilioſis atque ardentibus, arthriticis motibus, neruorum vitiis ac ſpaſmis, ſcorbuto, cholera, ne inquam variis ſanguinis ac humorum impuritatibus, quae alias omnium optime per aquoſa diluentia ſoluuntur perque diureſin aliaque excretoria ſecedunt, grauius fuerint affecti, quam noſtro tempore poſteri eorum, quod tamen praefiſcini dixerim, affici ſolemus. Quisquis poſthabito

partium ſtudio aequum huius rei aeſtimatorem agere ſuſcipit, ex ipſis artis principiis atque a priori aſſerti veritatem facile metietur. Verum enim vero quid demum illis reſpondeam, qui ad conſuetudinem agreſtem atque quamuis aliam laborioſam vitam ducentium prouocantes iuſculis matutinis, ientaculisque prae calida praerogatiuam concedunt iuſtiſſimam. Sed quisquis eorum corporibus potiorem aptitudinem ad nutriendum denegare ſuſtineat, cum tantum ſuccorum per motus corporis validos quotidie perdant, quantum vix per alimenta ſua recuperare poſſunt, nedum vt ipſis calidam, partibus nutritiis plane deſtitutam commendare illisue eam praeferre malimus. Aliud vero eſto iudicium de his, qui abſtinendo ſolicite a laboribus, ſedendoque, lautam nihiloſecius amant menſam, corpusque non raro ad rupturam vsque ſanguine turgidum ſuccisque pleniſſimum circumferunt, quique tanto haud indigent nutrimento, contra vero ea eius loco humorum quandam attenuationem ac imminutionem, ſine tamen ſanitatis detrimento, ipſis proficuam magis putent futuram. Illis igitur cum calida inanis noxam ſit allatura, his ſanitatis ingens fulcrum ſiſtet.

Quanta vero quamque magna ſint illa a decenti vſu infuſi huius in ſanitatem redundantia commoda, noxa tamen ſua, fateor, quandoque haud deſtituetur, praeſertim vbi immoderatius aut intempeſtiue adhibetur. Enim vero tanta a iuſto largiori eius ingurgitatione ſanguini conciliatur ſolutio atque attenuatio, praeprimis vbi quietam homines ducunt vitam, vt vel ipſe cruor per phlebotomiam ex vena immiſſus, pluribus etiam horis elapſis, quod ſaepius perſpexi, fluidus

ſine

ſine ſubſequente eius coagulatione permaneat. Vtut autem eiusmodi tenuitas ſanguinis atque humorum corpus ab initio blande afficere videatur, atque ad actiones quasuis alacriter exercendas diſponat, in nonnullis tamen tantam inducit ſiccitatem, vt quod ſaepe miratus ſum, ipſo aſſumtionis tempore linguam fauceſque contraxerint aridiſſimas. Adeo diluti vltra modum humores ſeroſi extra corporis limites, inprimis per diureſin, non ſine ingenti valetudinis ſecundae damno, proſcribuntur non ſolum, ſed ſalia ipſa, eſſentialem cruoris conſtituentia partem, reſoluta cum caeteris mobiliſſimis ſulphureisque eliminantur, reliqua fluidorum maſſa reſtitante inani, fatua, atque calore naturali in ea fere extincto. Eſt contra ea in aliis tanta fibrarum ventriculi habitusque corporis totius laxitas, vt a paulo largiori aquae calidae ingurgitatione flaccidiores euadant, eam hinc iuſto diutius retineant, nec commode in renibus ſecernant, nec per lotium reddant. Qui cum ſpiritus vini Gallici, aut aquae vitae hauſtu elaterem ſolidarum percipiant roborari, id ſolum curae cordique habeant, ne prauae inductae conſuetudini nec ventriculus, nec reliquae partes adſueſcant, adeo, vt, quod ſaepius vidi, vel modice aſſumtam calidam penetrare haud ſinant reddereque recuſent, niſi ſtimulo hoc valetudini ſecundae non leues inſidias ſtruente denuo incitentur. Plures producere noxas ſuperuacaneum duco, non ſine ratione dubitans, vtrum maius vlli damnum vnquam attulerit, atque medicis ipſis, qui profecto vix cum dimidia iam parte morborum rem habere tenentur, poſtquam infuſa haec calida in fre-

quentiorem vſum fuerunt vocata, cum inprimis digniſſimus Candidatus in ſcenam cum laude producendus in ſpecimine ſuo inaugurali de iis prolixius egerit.

Eſt is

NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

D O M I N V S

IOANNES ABRAHAMVS HEINIVS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

cui prima incunabula dedit Rochlitium vbi anno p. C. N. MDCCXXIII. primitus hanc lucem aſpexit. Patrem nactus Virum Summe Reuerendum atque Ampliſſimum Samuelem Gottliebium, Sacrorum ibi curam gerentem, deinde eccleſiae Doebelenſis Antiſtitem conſtitutum, cuius obitum praematurum anno abhinc vno et quod excurrit inſecutum dolet. Cuius parentis inſtitutione a teneris fruitus fundamenta religionis et literarum tamdiu iecit, donec ab anno MDCCXXXVII. in illuſtri Afraneo ab ore Ampliſſ. ac Praeclariſſ. Praeceptorum aſſiduo pendens ad acroaſes academicas accommodatus, ſub initium anni MDCCXLII. ad almam noſtram ſe contulit. In qua tam in ſcholis philo-

philoſophicis, quam medicis doctrina Celeberr. Profeſſorum vſus eſt, animum diſcendi cupidiſſimum nunquam non prae ſe ferens, tantumque profecit, vt optimi artis Doctores amore atque beneuolentia eum amplecterentur, proptereaque anno abhinc vno incluto Collegio noſtro, in examine theoretico, egregios profectus declarare atque ſingulari cum laudis encomio Bacccalaureus renunciari potuerit. In lectionibus poſtmodum: *de noxis, quas ex abuſu omnis potionum generis recipiunt primae viae*, quas pro Licentia nominant, laudabilem induſtriam, quam partim in lectiones optimorum Autorum, partim in doctrinas medicas ab Excellentiſſimis Profeſſoribus propoſitas contulit, abunde nobis probatam dedit. Maxima igitur cum fiducia non ita pridem examen pro Licentia ſ. practicum ingrediebatur, quaeſtionesque propoſitas appoſite, applaudente gratioſo Ordine noſtro, ſoluens diſceſſit, dignus iudicatus, qui ad honores medicae artis ſummos admitteretur. Supereſt, vt futuro die XII. Maii in diſſertat. *de noxis ex abuſu calidae* proprio Marte conſcripta, quam ſine Praeſidis vmbone defendet, coram omnibus, more vſitato, publicum eruditionis ſuae edat ſpecimen. Quo conflictu docto finito, ex poteſtate clementiſſime mihi conceſſa quicquid in honorem eius agendum reſtat, decernam, Licentiam ei aſſumendi Doctoris titulum daturus. Vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, CIVES GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI,

vt

vt actum hunc praeſentia veſtra perhonorifica condecorare, panegyrinque ei praemittendam beneuole audire ne dedignemini, quo quemque decet cultu, obſeruantia atque humanitate inuitamus. P. P. D. Rogate Anno MDCCXLVII.

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIANIS.